

SCHOLAS
Curienfium Anti-

qvas

describis

inſimulqve

Luctum Publicum,

propter obitum

JESU CHRISTI
TRISTISSIMUM,

indicendo

ad

Actum Eucharisticum,

in

Illuſtri Curiano

ad d. 2. Aprilis horis matutinis

habendum.

Urbis Noſtræ Proceres & Muſophilos omnes
decenter

invitat

M. JO. CHRISTOPHORUS Weiß/ Rector.

Literis Minzelianni.



Tſi de Scholis ſcribere tædioſa res
 ſit, nihilq̄ve aliud, q̄vam moroſorum q̄vo-
 rundam ac malevolorum in ſe concitare
 odia, q̄vi, ut à bonis artibus præpoſtere
 abhorrent, ita nihil non convitiatorum in
 ſacras has Spiritus Sancti officinas plenis
 buccis eruçant, infulſum illud: *χολή χολή*.
 ſubinde ore evomentes; Perſeq̄var tamen
 id, ad q̄vod Hiſtoriæ nunc ducit ordo, &
de Scholis Curianis Veteribus æq̄vè ac Modernis, quantum ex vetuſta-
 tis tenebris in lucem licet adferere, Benevolo Lectori communi-
 cabo. Primum quidem q̄vod *Veteris Urbis Scholam* concernit
 origo ejus ſatis obſcura eſt, ſicut cetera omnia; niſi tamen fallit
 conjectura, haut diu poſt ipſum, ædificatum templum fun-
 data, cum eodem & incrementa & decrementa ſua habuit, paria-
 q̄ve haut dubiè ſata. Hodie exiguæ capacitatis ædicula eſt,
 vixq̄ve ſatis capiendæ mediocris Diſcipulorum multitudinis, an-
 tiqui muri ſcil. fundamentis nixa, in q̄vâ Ludimoderator, (q̄vi
 & organiçi ædituiq̄ve partibus fungitur,) juventutem paganam
 unà cum veteris urbis pube prima literarum ſacræq̄ve fidei fun-
 damenta ſimul & Scripturam docet, indeq̄ve, inter alia, certos
 panes ex ſalario, antiquiſſimè ita conſtituto, ab accolis paga-
 nis accipit. *Novæ urbis antiquam Scholam* templo Michaëlitano
 contiguam fuiſſe, ipſa, q̄væ ſuperſunt, prædunt rudera, q̄væ unà
 cum moderna puellari Schola ad *Motheſianas* ædes, q̄vas hodie
 emptionis titulo Dominus Rebhan poſſidet, olim *pertinuiſſe* at-
 q̄ve unius cujuſdam prædivitis nobilis, aut abbatis fuiſſe diti-
 onis, haut levi ducimur conjectura, cum poſterius lapidi incifum
 ſcutum; prius veſtigia januæ, q̄væ in ambonem hujus ſpatioſi-
 ſimæ domus patuit, clarè innuat. Effigies ſcuti in media Do-
 mus arca hæc eſt:

Credi.



Credibile est institutionis præcepta admodum initio fuisse levia. Barbara namque secula viros doctos paucos habuere, & ipsæ Scholæ non semper magni æstimatæ sunt; Aucta verò Urbe, cum crescente juventute ardor discendi cresceret, & numerus Præceptorum auctus & doctrinarum altiorum facta est accessio. Quæ ceterum interitum fugientia supersunt, de ipsis antiquioribus Ludimoderatoribus, cuncta ferè Excellentissimus olim Blebelius prodit, quæ nihil mutata non piget hic transcribere, cum oratio illius in paucorum adhuc manibus sit, nosque quod mutemus in iis parum habeamus:

Vete.

Veteris Scholæ Curianæ Gubernatores.

1. Inter hos autem quorum vetustior est memoria celebratur *Wolfgangus Schlotterlein*, Vir gravis & doctus, qui sub papatu mediocri successu instituit, & in hoc sancto & laboriosissimo munere vitæ finem clausit.
2. Huic successit *Johannes Engelhardus*, Vir satis eruditus, is cum tandem Scholastico munere gravioze se abdicasset, in Xenodochio patriæ, quam diu vixit, gubernavit, i.e. Pastorem egit.
3. Hunc in gubernatione Scholastica secutus est *Andreas Gøselius*, comitate morum omnibus gratus, qui relicto hoc munere tandem in vicinis pagis, Tribelo & Euchio sive Querceto Ecclesias fideliter instituit.
4. Huic successit *Johannes Schillerus*, Vir magnæ autoritatis, qui multos annos juventutis studia & mores fideliter gubernavit.
5. Hic successorem habuit *Martinum Helserum*, hominem doctum & pium, qui primus extitit in his partibus, qui Papatu renuntiavit. Tandem verò in Vitebergensem Academiam concessit, ubi aliquot annos studiorum gratia versatus doctrina & judicio Clarissimorum Virorum confirmatus, in patriam reversus, Losaviensem & Selbicensem Ecclesiam summa diligentia & fide instituit.
6. Hunc secutus est in officio Scholastico frater ejus *Nicolaus Helserus*, mathematicarum disciplinarum felicissimus indagator, & veræ religionis amator, qui exemplo fratris in vera doctrina Scholasticos informavit.

7. Post

7. Post hunc Scholæ gubernationem suscepit *Erhardus Menzelius*, cognomine *Methluderus*, homo doctus, & singulari animi moderatione præditus, musicæ artis peritissimus, qui postea ad Theologica repurgatæ doctrinæ studia totum se composuit, & in Ecclesia Trumsdorfiana docuit.
8. Habuit autem suæ administrationis & institutionis Scholasticæ fidelissimum Collegam & Successorem, *Johannem Ribsteinium* Baccalaureum, Latinæ & Græcæ lingvæ perdoctum hominem, & Musicum insignem, qui tandem in hac Urbe in Senatorium ordinem lectus, rem literariam egregie juvit, & publica munera administravit. De quo supra.
9. Sed ne Scholasticum interregnum studiis juventutis periculosum esset, secundo *Andreas Göselius*, jam senex hoc oneris sibi imponi passus est.
10. Postea Scholæ administrationem *Johannes Hollerus* suscepit, mediocri successu.
11. Huic surrogatus est *Wolfgangus Narrhammer*, ex *Narriana* familia oriundus, Homo facundus, sub quo studia feliciter restaurata, negligi, & Scholæ collabi cœperunt, partim vulgi odio, partim impunitate quorundam, qui doctrinam Evangelii non rectè perceperunt, partim pestis contagio.
12. Post eum Rectoris provinciam administravit *Casspar Grimmius* *Curiensis*, qui postea propter possessiones amplas ex hæreditate illi obvenientes prope *Oelsnicium* concessit.
13. Successorem habuit *Jacobum Dornheimium* *Naumburgensem*, qui ex *Pontana* familia hic Uxorem duxit, quæ mortuo marito hoc, postea à *Panratio Plezlinio* *Forchemio*, Pastori *Bergensi* nupsit.

14. Post eum cum *Fabianus Schillerus* sine successu laboraret, in Schwerzenbacensem Ecclesiam missus est.
15. Huic successus *Lampertus Avicula* Culmbacensis, insignis Musicus, qui onus curandi Ludum solus sustinens, & sine fructu laborans, relicto hoc munere ad gubernationem Ecclesiae Gfellenensis concessit.
16. Tandem publica autoritate vocatus est *D. Nicolaus Medlerus* adhuc juvenis anno 1527. is magno conatu, Deo successus gubernante, non tantum Scholam patriam collapsam restituit, sed etiam Ecclesiae emendationem feliciter adjuvit.

Cum enim *M. Caspar Lönerus* primus Evangelium in hac Ecclesia doceret, eamque ab erroribus & idolomanis Pontificiis tanquam Augiæ stabulum purgaret, unusque impar esset tot laboribus, quos ministerium requirit, adjunxit sibi *Medlerum*, qui concionandi usum habebat, (in hoc enim docendi genere in Schola Egrana paulò ante se exercuerat,) & ex Cathedra Scholastica in suggestum traduxit, ita tamen, ut Scholam non desereret, sed simul ejus gubernationem teneret, & operas Concionum faceret. Communicata ergo opera aliquot annos, veram religionis doctrinam professi, hunc ordinem Ecclesiasticum, quo adhuc religiosè in Curiana hac Ecclesia utimur, approbante *D. Lutero* instituerunt, sed ingravescente odio, & furore Urbis præfecti, uterque die *Margarethæ* (anno 29.) cecit, cum nemo eos tueri posset. *Lönerus* Olsnizium ubi Pastorem egit. *Medlerus* Vitebergam profectus, ut studiis Theologicis feliciter inceptis Colophonem imponeret. Reliquit autem in hac patria sua seminarium egregium ingeniorum, ex quo subnati sunt non pauci, qui & Scholis, Ecclesiis, & Rebus pub. utiliter servierunt, & adhuc servant.

17. Reliquit Successorem & Collegam fidelissimum *Cunradum Majo-*

Majerum, græcæ Lingvæ præclarè instructum, Musicæqve peritissimum, qui postea in Uxorem duxit nobilem Virginem Veronicam a Zedwiz, unam ex monialibus hujus loci Monasterii S. Claræ, quæ prima in hoc Collegio sacrarum Virginum Evangelii doctrinam amplexa est, & idololatriæ monasticæ publice renunciavit & valedixit horum nuptiæ magna celebritate factæ sunt Curia. Tandem anno 32. ad gubernationem Scholæ Wunsidlianæ profectus est.

18. Post eum *Andreas Eckerus* Scheuicensis, mediocri successu munus Scholasticum administravit.
19. In hujus locum suffectus est *Michael Brunnerus*, doctrina & morum gravitate ornatissimus, multis annis in munere Scholastico confectis, ad gubernationem Ecclesiæ Drosensfeldensis tandem concessit.

Hactenus *Blebelius*, qui omnia ferè, ut jam quidem, cum priora jam typis exscripta essent, adverti, ex oratione *B. Johannis Streitbergeri*, d. 15. Martii Anno 1548. hic Curia, inauspicandi muneris gratia, in ipso Gymnasio novo habita, paucis saltim mutatis depromsit. Ne autem de antiquis quid pereat, etiam reliqua, quæ *Blebelius* brevitatis causa hic omisit, ex eadem *Streitbergeri* oratione supplebo, & quæ addenda adhuc utiliter videntur, in simul monebo. Addit ergo hic (1) de *Wolfg. Schlötterlein*, quod uxor ejus, consulti tandem *Conrado Feilschero*, *M. Caspari Læneri* Socero nupsit. (2) De suo addidit *Blebelius*, *Jo. Schillerum*, multos annos juventutis studia gubernasse, quod nobis sanè non videtur, cum *Widemannus* scribat, omnes modo recensitos Ludimoderatores brevi esse se invicem secutos, & *Streitbergerus* fateatur, se ea tradere, quæ nempe ab Anno 1502. ad 1548. facta, ex ore authorum, qui meminissent, acceperit (3) *Martinum Holferum* & fratrem *Nicolaum* jam Collegas dici *Streitbergero*, qui de priori adjunxit, quod sub *CASIMIRO* principe, coram *Guiliel-*

mo Grunero, urbis hujus præfecto egregiam confessionem de fide ediderit. (4) Jo. Riebsteinium quo de & supra pag. 259. mentio facta nobis, scribit idem Streitbergerus, Ecclesie & Scholæ ministros multum amasse, tandemque, antequam calculi doloribus extingveretur, valde desiderasse eventum offerendæ confessionis Augustæ percipere, dixisseque, se nulla alia de causa longiorem vitam optare, quam ut videret, qualis adhuc futura esset admiranda DEI gubernatio in defendenda ecclesia, & doctrinæ cælestis propagatione. (5) De Medleri singulari eruditione, periculis & religiositatis constantia supra pag. 75. seq. etiam dictum est; de immensis laboribus & vigiliis etiam Streitbergerus quædam adjecit, imò expressè ait, hanc urbem non habuisse excellentiorem virum, quia & singulari prudentia præditus, consiliis multum valuerit, & eximia eruditione ac pietate haut parum inclaruerit. Quod sanè res ipsa loquitur. Testimonii loco sit mihi Epistola, quam Brunsvigâ ad Senatum Amplissimum Curiensem scripsit, qua illi volumen magnum de Arithmetica, Astronomia, Geometria, Dialectica, Rhetorica, Hebræa lingua, suâ manu scriptum dedicavit, in quo opere, & B. Streitbergeri Oratio & Heinrici Fabri quoque musica practica continetur. Qui liber cum à sacrilegis manibus mutilatus jam sit, operæ pretium existimavi, eam ab interitu vindicare & Veterum Scholarum Historiam sic claudere.

* * *

Inclyto & Prudentissimo Curiaë Variscorum Senatui
Nicolaus Medlerus Sacrae Theologiae & Philosophiæ Doctor

S. D.

Vulgare apud omnes Philosophos dictum est, Viri prudentissimi, hominem non sibi solum, sed Patriæ & cognatis suis nasci, id ego sæpè mecum cogi-

cogitans, infelicitatem meam deploravi, qui usq; huc dulcissimæ meæ Patriæ
 operam meam hanc præstare potuerim. Cum verò ante annum intellexissem
 Prudentiam Vestram, serio id agere, quo in Curia vestra ludus lite-
 rarius pro communi juventute quam optimè institueretur, statim animi mei
 voluntatem erga Patriam declarandi occasionem arripui, & ut ego quoq; tan-
 quam civis vester, tam sanctissimum institutum pro mea tenuitate nonnihil
 juvarem, scripsi pro communi juventute Christianam quandam Scholasticam
 institutionem & simul etiam omnium artium liberalium, ac singularum totius
 Philosophiæ partium, communiora quædam præcepta, & prima principia, in
 quibus Juventus ab initio instituenda est, collegi. Cum autem antea pri-
 mam saltem hujus operis partem, Vobis transmiserim, nunc & alteram quo-
 que addere & eam Scholæ Vestræ dedicare volui, in qua commentariorum A-
 rithmetice Libri duo, Astronomiæ verò & Geometriæ practicæ, primorum
 principiorum tractatus tredecim, cum Rhetoricæ & Dialecticæ rudimentis,
 ex recentiori Dialectica D. Philippi Melanchthonis, Præceptoris mei cha-
 rissimi exscriptis, continentur, addidi etiam secundam Musicæ practicæ par-
 tem, à Magistro Heinricho Fabro, in mei gratiam conscriptam, quæ omnia eâ
 simplicitate & perspicuitate tradita, & exemplis ita demonstrata sunt, ut
 sperem ea juventuti non tam utilia quam jucunda fore, istas etiam artes, quæ
 a Veteribus multis vigiliis & laboribus in usum vitæ humanæ inventæ sunt,
 per quas puerorum ingenia in cognitionem rerum & amorem veritatis du-
 cuntur in Scholis conservari omnino Christi ecclesiæ necessariam est, sunt
 etiam egregia Dei dona & instrumenta, quibus sana Evangelii doctrina re-
 ctius propagatur. Quare cum nunc per annum, dum M. Jo. Streitberger
 Gener meus filii loco mihi dilectus, Scholæ Vestræ administrationem habu-
 it, hanc ordinationem à nobis præscriptam, juventuti prodesse, prout in pro-
 ximis literis ad me scripsistis, re ipsa comperti estis, oro ut & imposterum eam
 in Schola retineri curetis. Neque cuiquam ejus mutandi facultatem facile
 concedatis, quam ego experienciâ & longo usu veram instituendi pueros vi-
 am esse didici, id verò hoc modo commodius posse fieri arbitror, si post hæc ne-
 minem in functionem aliquam Scholasticam admiseritis, nisi prius & ipse in

his artibus & ad hunc modum per annos aliquot in quibus obedientia, modestia & eruditionis suae specimen aliquod edidit, in Schola vestra institutus fuerit, ut sic quasi per manuum traditionem haec docendi methodus in Schola per Auctoritatem vestram conservetur. Et si id mediocritatis meae consilium vobis non displicuisse, meamque operam non omnino ingratam fuisse perspexero, ulterò etiam deinde totis viribus id sedulò agam, quod in rem & utilitatem Scholae Vestrae facere existimem. Benè valete Ornatissimi Viri Christo Domino cum tota gubernatione Reipublicae Vestrae commendati. Brunsvigae. Ipso die quò Filius DEI de caelo descendens, ex Matre Maria semper Virgine humanam naturam assumpsit & omnem denique infirmitatem & calamitatem in se transtulit, cui cum Patre & Spiritu Sancto sit laus, honor & gloria in secula seculorum Amen, Anno 1549.

Ex his patet quantum fauerit Gymnasio nostro Vir immortaliter meritus, qui & alteram partem liberalium Artium scriptam reliquit, quam nescio quæ Harpiarum posteritati subduxit & quæ eadem nefaria licentia hoc opus mirè laceravit, cuius facti DEUS vindex erit. Quemadmodum verò Medlerus Rector Curiensis multa propter Christum passus est, & stigmata ejus in corpore per sensit suo; ita omnium ferè Ludimoderatorum Vita mera ac continua passio est, quod quidam ex Auditoribus nostris cras ibit demonstratum. Cum enim sanctissimi innocentissimique Servatoris passio piè nunc recolenda memoria sit, operam dictorum oratorum ita divisimus, ut

JOH. MARTINUS Gleischmann Curiensis, dolorem Jesu nostri quem ex ignominia atque injuriis sensit, describat;

Alter

JOH. CASPARUS Müller Hirschbergensis, corporis

ris

ris doloribus, ex variis tormentorum generibus ortis, prærogativam præ ceteris tribuat;

Tertius

CHRISTOPHORUS ERNESTUS Gebhard Selbensis, descripturus quæ licet brevitate, dolores animæ, ceteris eos omnibus antistare adfirmet;

Quartus

HEINRICH-ARNOLD-CASPAR Grünseiß / Bayersdorffensis, gratias pro tota passione persolvat; quibusque se junxit denique

Quintus non ultimus loco


JO. MICHAEL Querbach / Gefresâ Francus, Viri Nobilissimi ac Consultissimi Domini WOLFGANGI LUDOVICI Querbach / Quæstoris Curiens. longè Spectatissimi Gravisimique Filius, qui comparatione passionis Jesum inter & Præceptorem bonum instituta, gratias Urbi persolvat decentes & simul Musis nostris ultimum dicet Vale.

Hos juvenes sicut omnes à morum probitate, industria, discendiqve ardore jure commendamus, & Valedicentem cum primis, ut Auditorem hætenus nostrum & indolis bonitate & studii assiduitate, reverentiâqve in superiores spectata multum præ aliis eminentem, bonâ cum pace dimittimus; ita eosdem gratiosè

ac

ac benevole cras audire ne dedignetur Urbis Proceres, Serenissimi
 Principis ac Nutritii Nostri Ministrissimum, Illustrissimum Co-
 mitem ac Dominum, DN. JO. ALBERTUM, Comitem de RO-
 NOV & BIBERSTEIN, Dominum in Oppurg, Knauen, Kro-
 biz, Grünau &c. Consiliorum Præsidentem Superiorem, Consi-
 liarium Intimum & Exarchum Provinciale Eminentissimum,
 Dominum nostrum Gratosissimum; Maximè Reverendum
 atque Generosum, DN. JOSEPHUM FRIEDERICUM DE
 WALDECK, Hæreditarium in Culmiz & Dœbra-Stœcken, &c.
 Superintendentem & Inspectorem Gymnasii Gravisimum, cum
 Plurimum Reverendo Ministerio; Excellentis, Dominos Phy-
 sicum Ordinarium, Adjunctum, Medicos; Nobilissimos & Con-
 sultissimos Dominos Officiales; Amplissimum & Prudentissi-
 mum Senatam, Gymnasii Patronum & Scholarchas; Clarissimos
 Dominos Collegas, & Præ Eximios Dnn. Studiosos & Eruditos,
 literarumque Fautores quoscunque, eâ, qua par est, devotione
 atque affectu enixè obtestamur.





Cu
JES
Urbis M
M. JO
✠✠✠✠✠

27
Anti-
m,
KRISTI
IM,
O
hilos omnes
eiß/ Rector.
✠✠✠✠✠

